DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI.

1184 b 12
6

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PHTHISI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu, et
Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GLOVERUS LOY,

ANGLO-BRITANNUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOC.

" *Now spring returns: but not to me returns*
" *The vernal joy my better years have known;*
" *Dim in my breast life's dying taper burns,*
" *And all the joys of life with health are flown.*"

BRUCE.

VIII° Calend. Jul. horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC.

43.
10. 10.
332.

PATRI OPTIMO,

RICHARDO LOY,

QUI

EUM

IN

ARTE MEDICINALI

SUMMO STUDIO

ET

PATERNA CURA

INSTITUIT,

HANC DISPUTATIONEM,

PIETATE,

QUA

FILIUM

DECET,

D. D. Cque

JOANNES GLOVERUS LOY.

FRATRI DILECTISSIMO,

MARTINO AUGUSTINO LOY,

PICKERINGÆ,

IN

PRAEFECTURA EBORACENSI,

CHIRURGO;

EXIGUUM HOC, AT SINCERUM,

FRATERNI AMORIS

PIGNUS,

LITERIS

CONSIGNAT

JOANNES GLOVERUS LOY.

PH

§ 1. P

duodev
tum æt
in phth
solùm
tissimù
iis max
quibus

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONUM.

§ 1. PHTHISIS, utì observârunt HIPPOCRATES et omnes alii medici, inter duodevicesimum annum et trlgesimum quintum ætatis incipit. Hac ætate, præ cæteris, in phthisin mortales incidunt; quia tunc non solùm semina hæreditariorum morborum potissimùm vigent, sed etiam corpus humanum iis maximè morbis malisque opportunum est, quibus phthisis supervenire solet.

 II. Utì

II. Utì phthisis, seu tabes, diversam aliquatenus curationem requirit, prout etiamnum nascens sit, vel jam inflammationem moverit, vel suppurationem ; ita potest in *NASCENTEM*, in *CONFIRMATAM*, et in *ULCEROSAM* seu *INVETERATAM*, haud ineptè dividi.

III. Tabes plerumque tardè et insidiosè obrepit ; et, cùm initio adeò ferme levis sit, ut neque tabescens ipse nedum amici morbum habeant, quippe qui nesciant, quanta poſtea mala præbeat, rarissimè medicis observandi, quibus notis insigniatur, se priùs offert occasio, quàm aliquandiu jam increvit.

IV. Nascente tabe, languescit plerumque tam corpus, quàm animus. Invalidum corpus laborisque impatiens se movere piget, et levissimâ exercitatione brevi fatigatur ; neque remissus et languidus animus, ea, ut antea, expetit, quæ ipsum oblectent et recreent.

V. Haud

v. Haud multò pòst, indubia signa increscentis morbi, ubique corporis, apparent. Pallet et languet facies ; flaccet atque marcet totum corpus. Manuum palmæ, maximè appropinquante vespere, calescunt, fiuntque solito sicciores. Siccescit, appetente luce, summa cutis, atque alterutraque nonnunquam gena rubore suffunditur ; unde conſtat, tabescentem jam febriculâ corripi.

vi. Hæc (iv. et v.) mala sæpe diu antè urgent, quàm in ulla thoracis parte dolor sentitur. Interea autem phthisicus, quoties se utcunque exercet, levi afficitur spirandi difficultate. Demum supervenit paulatim sicca tussicula, quæ, pariter atque spiritûs difficultas, insolito omni corporis motu concitatur.

vii. Si hujusmodi signa vere urgent, haud rarò levantur aut evanescunt æſtate. Ineunte verò autumno, ingravescunt ; et nova insuper

super mala nascuntur. Vel in alterutro latere dolor levis inhæret, vel, huc subinde illucve, per thoracem subitò percurrit; atque tussi intenditur, quæ nunc, quàm antea, gravior eſt. Dolet frequenter caput; atque nauseat stomachus, neque rarò assumpta alimenta rejicit.

VIII. Quanquam phthisicus sedulò caveat, ne ex frigore detrimentum capiat, vesperascente tamen die, plerumque irraucescit. Sæpe, primùm ferè ut se in lectum inclinat, tussi vexatur; quæ tamen brevi plerumque interquiescit, obrepitque gratus somnus. Morbo verò increscente, vel frigore subitò exasperato, sæpe tussi ex somno excitatur; atque mane ex pulmonibus exscreat vel extussit humorem, crassum et tenacem, qui plerumque ex solo muco constat.

IX. Interdiu

IX. Interdiu arteriæ solito exiliùs ac imbecilliùs micant; sed, die ad casum inclinante, crebriùs plerumque et validiùs.

X. Postquam phthisis, qualis signis hactenus memoratis cognoscitur, et *INCIPIENS* aptè nominatur, unum, alterum, imò complures interdum annos, continuavit, æstivo calore mitescens, hiemali ingravescens frigore; superveniunt alia mala, etiamque graviora, quæ superquam satìs ostendunt, inflammationem in alterutro pulmonum incepisse, et morbum eò pervenisse gravitatis, ubi *CONFIRMATUS* rectè appelletur.

XI. Confirmatâ phthisi, pro tussicula titillante, quæ antea, statutis tantùm temporibus, vexabat, dein intermittebat, tussis vehemens, sonora, et frequentior, ægrum fatigat. Dolor, sive in latere sive sub sterno, pleno spiritu intenditur, et multò magis tussiendi nisibus;

bus; neque æger lateri dolenti poteſt incumbere. Animæ magna difficultas est, itemque asperitas *; atque, inter tussiendum, molestissima præcordiorum gravitas †. Haud rarò, etiamsi gravi tussi fatigatus, phthisicus nihil tamen expectorat.

XII. Interea, lingua sæpe sorde obsita est. Haud rarò urget sitis. Ictus arteriarum pleni sunt, celeres et duri. Simul alia adsunt signa febris; quæ tamen nondum meridie incrementum et vespere capit, necdum matutinum movet sudorem.

XIII. Quod expectoratur, id, mutato paulatim colore, impervium luci fit, flavum aut subviride,

---

* Vid. RYAN. *Inquiry into the Nature, &c. of Consumption.*

† Vid. MORTON. *Phthisiolog.* pag. 103.

subviride, neque rarò sanguine striatum. Siquando phthisicus expectorare intermisit, haud multò pòst humorem, per omnia purulentum, extussire incipit.

XIV. Sputum purulentum phthisin inveterâsse, atque ulcerosum alterutrum pulmonem, indicat. Morbus nunc *hecticam* febrem movet, et rarissimè sanabilis est. Hìc itaque loci, res videtur poscere, ut *hecticam* quàm brevissimè describamus.

XV. Ante meridiem, corpus pallet, et subinde horret. Sed, vergente in noctem die, cutis callescit, præcipuè in palmis manuum et pedum plantis. Venæ simul sanguine solitò magis distentæ videntur.

XVI. Increscente morbo, accessiones *hecticæ* observabiles fiunt; quæ tamen neque certo circuitu

circuitu redeunt, neque certum spatium implent, sed fortuitò plerumque adveniunt.

XVII. Quando sputum fit crassum et copiosum, singulis diebus, quintâ propè horâ postmeridianâ, accessio accedit, quam prægrediuntur languor, debilitas, frigus et horror. Nec multò pòst, succedit calor insolitus, qui continuat usque ad secundam horam matutinam. Tunc, maximè in superioribus corporis partibus, oritur sudor, quo levantur tussis, spirandi difficultas, aliaque mala, quæ, inter horrorem et calorem, urgebant; atque optatus ægro somnus obrepit *.

XVIII. Postquam vespertina accessio compluries repetivit, alia, at minùs notabilis, meridiano ferè tempore, advenit. Hæc verò plerumque

* Vid. MORTON. *Phthisiolog.* pag. 112.

rumque levis est, neque calorem, quem movet, prægreditur horror, vel saltem rarissimè.

XIX. Accessiones assumpto alimento augentur; atque meridiana, quippe cùm rarò, nisi post prandium, notabilis sit, à quibusdam putata est assumpto alimento moveri.

XX. Ab initio febris *hecticæ*, urina rufa est; atque, quæ in ea subsidunt, ea modò subrubra sunt, modò albida.

XXI. Aliquandiu postquam incepit *hectica*, alvus astricta est; sed, ut nocturni sudores copiosi fiunt, liquida copiosè et persæpe dejicit. Hæc diarrhœa, quam *COLLIQUATIVAM* medici nominant, atque sudationes, vices haud rarò alternant, atque, mirum in modum, corpus debilitant et macerant. Extremis ideo corporis partibus non nutritis, ungues curvi fiunt, et pili defluunt.

XXII. Morbo increscente, tunica orbibus oculorum *adnata* candore nitescit. Pallescunt simul genæ, accessionibus remittentibus; at, inter accessiones, in utrisque pars circumscripta roseo rubore fulget. Ore plerumque humido, sitis rarissimè urget: sed, sub finem morbi, ubi lingua ac fauces, inflammatione captæ, *aphthis* exasperantur, sitis importuna urget; simulque, haud rarò, est devorandi difficultas.

XXIII. Phthisi indies ingravescente, atque defluentibus viribus, pedes plerumque aquâ inter cutem tumescunt. Arteriarum motus, nisi spatiis quæ implent accessiones, celeres sunt ac imbecilli; verùm, per accessiones, validiores. Sub finem morbi, accessiones *hecticæ* persæpe inobservabiles sunt.

XXIV. Per accessiones *hecticæ*, rarò dolet caput; et, quod sanè mirum, adhuc rariùs delirium

delirium est. Paucis verò diebus ante finem, incipit labare animus, neque plerumque constat usque ad mortem.

XXV. Mirum est, at tabescenti fortunatum, animum, nisi morbi initio, non solùm à metu mortis liberum esse, sed etiam vitæ et futuræ prosperæ valetudinis spe erectum. An error, ægro gratissimus, ex toto corpore malè se habente oriatur, necne, ut conjectat RUSHIUS *, nondum satìs constat.

XXVI. Ex quo tempore, sputum crassum fit atque purulentum, dolor plerumque et spirandi difficultas multùm levantur, etiamque tussis. Sed fugax, eheu! hæc molestiæ intercapedo est. Namque, ulceribus pulmonum plus indies puris effundentibus, spiritûs difficultas

* Vid. RUSH. *Inquiry*, &c.

difficultas revertitur, atque tussis, quàm antea, crebriùs phthisicum vexat. Vice autem acuti in thorace doloris, dolor haud rarò, qualem movet exulceratio, sentitur, maximè sub sterno; atque frequente tussi adeò intenditur, ut perpetuam ferme vocis asperitatem faciat.

XXVII. Fœminarum nonnullæ, phthisi incipiente, cessant menses profundere; aliæ non antè, quàm aliquandiu increvit. Imò, nonnullæ, quæ, ineunte morbo, menses intermiserunt, inflammatione superveniente et confirmato morbo, denuo profundunt; sed, ubi ulcerosi pulmones inveteratam phthisin manifestârunt, desinunt menstruales esse, simulque fœcundæ.

XXVIII. Quocunque tempore cessant menses, phthisis exasperatur, et gradum properat. Etsi igitur mensium cessatio phthisin haudquaquam movet, ut opinantur ipsæ phthisicæ;

sicæ ; omnia tamen mala, quibus premuntur, graviora reddit.

XXIX. Phthisis cursu, qualem descripsimus, plerumque obrepit, increscit, demumque inflammationem movet et suppurationem. Hoc verò nequaquam perpetuum est. Quippe nonnunquam ab inflammatione pulmonum incipit. Interdum nihil ex pulmonibus expectorat phthisicus, dum, abscessu subitò rupto, pus in pulmonum fistulas effundatur. Aliquando, quamvis nondum inceperit pus extussire, morbo tamen consumitur. Imò etiam, phthisis interdum transit in *pneumoniam*.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

XXX. *Catarrhus* solus morbus est, cui ulla similitudo est cum phthisi. Si medicus igitur de morbo dubitat, debet attento animo animadvertere, quæ mala urgeant, qualemque materiam æger expectoret. His cognitis, plerumque facilè discernere poterit, an *catarrho* laboret æger, an lentâ tabe consumatur.

XXXI. 1. Tussis, quam movet *catarrhus*, initio sicca est; sed, brevi pòst tempore, humida fit, simulque pituita destillat ex naribus. Tussicula, contrà, phthisicorum, non initio solùm adversæ valetudinis, sicca est; sed etiam, per menses, imò verò annos.

2. Tussis,

2. Tussis, quæ *catarrho* ægros vexat, vehemens est et constans. Tussis phthisicis molesta, lenis est; atque, temporibus quamvis incertis, intermittit et revertitur, sine evidente causa.

3. Quinetiam, phthisi confirmatâ, tussim dolor, in aliqua thoracis parte, vel gravitatis sensus, comitatur. *Catarrho* affectis angustia quasi thoracis molesta est, potiùs quàm dolor. Vel, siquando dolor eos urgeat, plerumque in pectore est, sed nulli parti inhæret; simulque in aliis partibus, præcipuè cervice et capite *, sentiuntur dolores, quales movet *rheumatismus*.

4. Tussis, porrò, phthisi macescentium movet sonum, ei similem, qui ex cavo vasis prodit;

---

* Vid. CULLEN. *First Lines*, vol. ii.

prodit; non item tussis laborantium *catarrho* *.

XXXII. *Catarrhus* plerumque febrem febriculamve movet; at *hecticæ* omnino dissimilem, quæ vires eorum dissipat, qui confirmatâ phthisi macerantur.

XXXIII. *Catarrhus* ferè semper oritur à frigore, et, quum morbus naturâ levis sit, brevi cedit medicamentis et remediis. Phthisis interdum tantùm frigore concitatur; atque, undecunque concitata, rarissimè admittit medicinam, sed miserum mortalem lentâ tabe consumit.

XXXIV. Quum id, quod exspuunt *catarrho* affecti, pus, quod expectorant phthisici, colore,

---

* Vid. RYAN. *Inquiry into the Nature, Causes, &c. of Consumption.*

lore, spissitate, odore, et comparativâ gravitate adeò frequenter simulet; nemo sanè medicorum, his utrorumque qualitatibus inter se periculo comparatis, potest certò discernere, urgeatne phthisis, an *catarrhus*.

XXXV. Quemadmodum verò distinguantur pus et mucus, tandem periculis compertus est CAROLUS DARVINUS, clarissimi ERASMI desideratus filius. Quid doceant hæc experimenta, hìc loci, paucis dicam.

XXXVI. 1. Pus, utì his periculis compertum est, pariter atque mucus, *acido sulphurico* solvuntur; et, aquâ affusâ, utraque ab acido separantur: sed pus vel ad imum defertur, vel, vase agitato, liquorem turbidum reddit; dum mucus vel liquori supernatat, vel agitato liquori innatat in flocculos diductus.

2. *Lixivium alcalinum causticum* mucum dissolvit, itemque pus, at ægriùs; atque affusa aqua pus à lixivio dissociat et præceps dat, sed non item mucum.

3. *Acido sulphurico diluto* pus deliquescit, mucus verò non ita.

4. *Murias hydrargyri corrosivus* mucum dissolvit, sed non pus.

XXXVII. Alii experimenta DARVINI iterârunt; atque, curâ adhibitâ, plerumque eadem, per omnia, quæ ipse, comperti sunt.

PRO-

PROCLIVITAS.

XXXVIII. Tres causæ ab auctoribus memorantur, quæ mortales in phthisin proclives faciant, nempe proprietas quædam seu temperamentum corporis, thorax malè conformatus, atque debilitas. De his singulatim, pauca dicenda sunt.

XXXIX. *Proprietas.*—Quum, ut inter se consentiunt omnes ferè scriptores, phthisis à parentibus perveniat ad prolem, vix dubium est, quin à quadam corporis proprietate gentilitia, ex parte, oriatur. Hæc proprietas à plerisque medicorum putatur eadem esse, atque ea, quæ glandulosis seu strumosis communis est; quamque indicant capilli albidi vel rutuli, vel rufi, oculi cœrulei, cutis lævis

et

et mollicella, roseus genarum rubor, atque labrum superius crassum *.

XL. Phthisi verò, quæ tuberculis pulmonum supervenit, sæpius consumuntur ii, qui temperamento corporis melancholici sunt, nigris capillis, pallidâ facie, solidis partibus corporis laxis †. Hoc verò genus hominum rarissimè strumosum est.

XLI. His (XXXIX. et XL.) cognitis, concludere æquum videtur, proprietatem corporis, unde tubercula oriuntur, prorsùs diversam notis, quibus cognoscitur, ab ea esse, unde scrofula.

XLII. In pulmonibus quidem eorum, quos phthisis absumpsit, tubercula ferè, magnitudine

* Vid. CULLEN. *First Lines*, vol. iv. p. 383.

† *Ibid.* vol. ii. p. 435.

dine varia, modò avellanam æquantia, ubique sparsa inveniuntur ; quorum majora pus continent, minora verò duritiâ induratas *glandulas conglobatas* referunt. Quum hujusmodi tubercula sæpe in pulmonibus eorum existant, quorum simul glandulas depascit scrofula ; MORTON et MORGAGNIUS concludunt, *scrofulosas* glandulas *lymphaticas* seu *conglobatas* esse, ideoque phthisin pulmonum et scrofulam proprietate corporum, quæ afficiunt, congeneres esse morbos.

XLIII. Sed, quoniam *glandulæ lymphaticæ* in ea tantummodo parte conspiciuntur, ubi aspera arteria se primùm bifurcam ostendit *, dum tubercula, ubique pulmonum, oculis obveniunt ; et, quoniam in his neque vesiculæ, neque cellulæ, neque profectò ulla prorsùs vasa, etiam

* Aud. MONRON. *Prælect. Anatomic.* in Acad. Edin.

etiam per *microscopium*, percipi possunt, licèt *arteria pulmonalis* et *vena pulmonalis* immisso humore impleta sint * ; non videtur esse, unde concludant medici, tubercula, in pulmonibus phthisicorum deprehensa, esse induratas *glandulas lymphaticas*.

XLIV. Quinetiam, scrofula et phthisis differunt inter se ætate, qua mortales adoriuntur. Scrofula enim infantum, frequentissimè inter secundum et septimum ætatis annum, glandulos depascitur ; dum phthisis, contrà, rarissimè impuberibus obrepit.

XLV. Neque conveniunt, porrò, anni tempore, quo ingravescunt et levantur. Namque scrofula mitescit, nonnunquam prorsùs sanatur, autumno et hieme ; sed sæpe revertitur, vere et æstatis initio : phthisis autumno, hieme,

* Vid. STARK. *Posthumous Works*, pag. 26.

eme, et primo vere ingravescit ; fugiente vere et ineunte æstate, ferè semper levatur.

XLVI. Præterea, veteres GRÆCI et ROMANI rarò scrofulâ deformes erant, lentâ tamen phthisi sæpe consumebantur.

XLVII. Similitudo, denique, quam phthisi esse cum scrofula medicorum plurimi contendunt, fuit hucusque inutilis, imò etiam haud rarò perniciosa ; cùm suggesserit curationem, quæ adeò phthisin non levat, ut exasperet, et mortem approperet.

XLVIII. *THORAX MALE CONFORMATUS.* ——Angustia thoracis, sive congenita, sive malo more infantes arctis fasciis obligandi inducta, haud rarò, ut inter omnes ferè medicos consentitur, phthisin concitat. Temperamento corporis sanguinei sæpius angustis thoracibus sunt, quàm strumosi ; at adhuc sæpius melancholici,

lici, vel ex parte melancholici ex parte sanguinei.

XLIX. Pulmones detrimentum ex angustia thoracis, omni ætate, accipere, plùs satìs constat: tunc verò maximè, ubi appropinquat vitæ meridies; quo tempore, arteria magna atque arteria *pulmonalis* eam attingunt amplitudinem, quam vis cordis et arteriarum requirit, atque in pulmones, præ cæteris partibus, sanguis impetu distribuitur. Quocirca, si, præ exiguitate, arteriæ pulmonales sanguinem in ipsas impulsum transmittere nequeant, vel si ex his quædam, præ cæteris, comprimantur; fieri non potest, quin in pulmonibus sanguis, supra quàm debet, cumuletur, nimiosque arteriarum motus incitet, quibus cruor vel serum in *bronchia telam*ve *cellulosam* pulmonum effundatur.

L. Idem

L. Idem faciunt omnes corporis posituræ, quibus coangustetur thorax, modò diu in his perseveretur. Hinc patet, quamobrem sedentarii, præ cæteris, phthisi obnoxii sint.

LI. *Debilitas.*—Quibus vox est tenuis et stridula, quique ad *catarrhum* proclives sunt, multumque pituitæ exscreant ex pectore, ii sanè pulmonum imbecillitate phthisi opportunissimi sunt *. Propter enim naturalem infirmitatem, pulmones apti sunt, in quibus sanguis congeratur, atque vel inflammationem moveat, vel ex vasis erumpat.

LII. Contendit Rushius, debilitatem, vel congenitam vel postea inductam, solam causam esse, qua mortales in phthisin proclives sint. Omnes enim causæ, utì putat, quibus hic morbus concitatur, corpus, maximè verò

* Vid. Morton. *Phthisiolog.* pag. 94.

pulmones, debilitant. Neque alio, dicit, modo, quàm pulmones infirmando, ad phthisin movendam pollet angustia thoracis. Hìc verò auctorem pro me ponam.

LIII. 1. "In an hereditary consumption, "there is either an hereditary debility of the "whole system, or an hereditary mal-conformation of the breast. In the latter case, "the consumption is the effect of weakness, "communicated to the whole system by the "long continuance of difficult respiration, "or of such injuries being done to the lungs, "as are incompatible with health and life."

2. Tubercula, quæ plerique medicorum phthisis causam existimant, sunt, utì putat RUSHIUS, "effects of general debility com-"municated to the bronchial vessels, which "causes them to effuse a preternatural quan-"tity of mucus, which is sometimes poured "into

" into the trachea, from whence it is discharged by hawking, but more frequently it is effused into the substance of the lungs, where it produces those tumors called tubercles."

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

LIV. Tot causas, unde phthisis oriatur, memorârunt auctores, ut omnes recensere longum esset. Earum igitur tantùm mentionem injiciam, quæ phthisin frequentissimè concitare observantur.

LV. *Hæmoptysi*,—seu sputo sanguinis, medici haud pridem ferè omnes existimârunt, pulmonum ulcerationem et phthisin supervenire. Sed, quum sæpe accidat, ut vi extrinsecùs thoraci illatâ, et aliis quibusdam causis, exspuatur sanguis ex pulmonibus, neque tamen phthisis superveniat; verisimile est, sputum sanguinis rarò in phthisin transire, nisi in iis, qui constitutione corporis, ab alterutro-

que

que parente acceptâ, in hunc morbum proclives sunt.

LVI. Quum verò hæc constitutio non semper evidens sit, et fieri possit, ut sanguinis sputum ex pulmonum nonnunquam tuberculis oriatur, satius est exspuitionem perinde curare, ac si phthisin utique frequenter moveret; præcipuè si, post exspuitionem, urgeat et ingravescat tussis. Namque hæc, obstando quò minùs sanentur rupta vasa, efficiat, ut sanguis serumve iterum effundatur iterumque in laxam materiam *cellulosam* pulmonum; ubi stagnet, et, ulcere moto, veram insanabilemque phthisin inducat.

LVII. *Catarrhus*—rarò iis, quibus est firma constitutio corporis, phthisin concitat. Quum verò frigus, unde *catarrhus* oritur, morbum faciat cutis halitum supprimendo, atque avertendo sanguinem nimiâ copiâ in pulmones; haud

haud negandum est, mortales vel firmâ corporis constitutione, neque naturâ ad phthisin proclives, adeò tamen *catarrho*, modò gravis sit aut sæpe repetat, debilitari posse, ut eos tabes invadat et consumat. Neque profectò dubium est, quin phthisicis parentibus ortis phthisin persæpe moveat *catarrhus*; at maximè pestilens, *influenza* vulgò dictus, ex quo plus detrimenti pulmones, quàm ex simplice, accipiunt.

LVIII. *Asthma*—in *hydrothoracem* frequentiùs transit, quàm in phthisin. At modò tamen, qui suspiriosi sunt, iidem hæreditariâ corporis proprietate in phthisin proclives sint; fieri haud rarò potest, ut *asthmatis* accessiones infirmatos brevi pulmones reddant aptos, in quibus sanguis, supra consuetudinem, cumuletur, et inflammationem moveat atque abscessum.

LIX.

LIX. *Pneumoniæ*,—quippe cùm medicamenta et remedia, quibus sanetur, jamdudum cognita sint, et opportunè data plerumque respondeant, rarò supervenit phthisis. Opportunitate verò omissâ, pars inflammata suppurat, et abscessum in pulmonibus format. Si abscessu brevi rupto pus molimine haud magno extussitur; ulcus haud rarò sanescit, et æger pristinum paulatim vigorem redipiscitur. Sin in abscessu pus diu remoratur, ægerrimè extussitur, et, extussitum, mali habitûs est, neque remittit *hectica* febris; æger omnibus pedetentim malis inveteratæ phthisis consumitur.

LX. Nonnulli morborum, qui faciunt, ut papulis efflorescat summa cutis, atque acris quædam materia, ab ipsis generata, in omne corpus diffundatur, phthisin persæpe concitant. Hujus generis sunt, *variola*, *scarlatina*, atque *rubeola*; at hæc maximè, quia, ut docet

cet experientia, pulmones, præ cæteris corporis partibus, inflammatione afficere solet. His accedat *lues venerea*, quo sanè morbo nullus phthisin sæpius concitat.

LXI. Profluvia, sive naturalia, sive vetera undecunque orta, plenitudinem haud rarò faciunt corporis, quæ in phthisicis committit, ut pulmones inflammatione capiantur et tabescant.

LXII. Calculi, denique, in pulmonibus generati; atque pulvis, scobs ferrea, lignea, lapideave, extrinsecùs à fabris in pulmones cum spiritu adducta; imò etiam clavi in pulmones delapsi *; phthisin interdum movent.

PROGNOSIS.

---

* Vid. MORTON. *Phthisiolog.* pag. 267 et 277.

PROGNOSIS.

LXIII. Quum phthisis plerumque lethalis sit, medici rarò possunt eâ tabescentibus salutem polliceri. Verùm interdum tamen phthisici, quorum saluti desperatur, ad sanitatem perveniunt.

LXIV. Phthisis hæreditaria, quæ ex thorace malè conformato orta est, ægrum semper absumit: quippe causa, quæ genuit, non potest submoveri.

LXV. Phthisis, quæ sanguinis sputo, *catarrho*, vel *pneumoniæ* supervenit, haud rarò sanatur, modò æger non ortus sit phthisicis parentibus. Imò, hujusmodi parentibus nati

nonnunquam revalescunt, si angusto thorace non sint; sique pus bonum facilè extussiatur, nequedum gravis *hectica* vires dissipaverit. Phthisi verò marcescentium, quorum capitibus defluunt capilli, et vires diarrhœâ labuntur, vitam conservare vix, imò ne vix quidem, medicina potest*.

LXVI. Ex quacunque causa phthisis oriatur, eorum, qui pus magnâ copiâ, et interpositis temporibus, expectorant, plures ad sanitatem redeunt, quàm eorum, qui parcâ quantitate, et magnâ continenter difficultate, extussiunt.

LXVII. Abscessus, in auribus et pedibus orti, dicuntur interdum sanâsse phthisin pulmonum.

LXVIII.

* Vid. HIPPOCRAT. *Aphorism.* Sect. v. Aph. xii.

LXVIII. Phthisis gravis autumno præsentius periculum intentat, quàm vere; frigus enim hiemale semper exasperat ejus vim, dum levat plerumque siccus et temperatus aër æstivus.

LXIX. Graviditas et lactatus* haud rarò phthisin, ad tempus, sistunt. Plerumque verò, partu edito et lactatu finito, morbus intermissus revertitur, et brevi ægram absumit. Quinetiam, insania phthisin nonnunquam levat, imò etiam interdum prorsùs sanat.

SIGNORUM

---

* Vid. MORTON. *Phthisiolog.* cap. iii. pag. 33.

SIGNORUM QUORUNDAM RATIO.

LXX. *Tussis.*—Ob consensum, qui, per nervos, est *laryngi* cum pulmonibus, quicquid hos irritat, illam quoque offendit. Quum ita sit, quo tempore *bronchia* muco, tuberculis, vel pure irritantur, *larynx* quoque malè se habet; atque, propter consortium, quod, nervorum interventu, huic intercedit cum musculis quibus anima reciprocatur, tussis movetur, qua nociva expellantur ex pulmonibus.

LXXI. *Spirandi difficultas*—oritur partim ex fistulis pulmonum aëri imperviis; partim ex dolore, qui impedit, quò minùs phthisicus pulmones in justam amplitudinem expandat. Sanguis igitur neque in pulmones expeditè distribuitur,

distribuitur, nedum ex purpureo in vitalem convertitur hausto in pulmones spiritu. Quo verò difficiliùs sanguis in pulmones diffunditur, et quo minùs in vitalem rubescit diffusus, eo sanè crebriùs spiritus accipitur et redditur, eoque operosiùs.

LXXII. *Febris hectica*, — ex parte, movetur debilitate totius hominis, præ qua, corpus propriis humoribus, supra consuetudinem, irritatur ; atque, ex parte, pure absorpto ex ulceribus pulmonum, et per absorbentia vasa delato in sanguinem.

LXXIII. *Debilitatem* et *maciem*—inducit non solùm sanguis non ritè paratus in pulmonibus ulcerosis ; verùm etiam pus hinc absorptum, quod sanguinem cæterosque humores corrumpit, atque vasa absorbentia irritando efficit, ut ex *tela cellulosa* adeps resorbeatur.

LXXIV. *Sudor colliquativus*—oritur ex debilitate et laxitate arteriarum exhalantium; præ quibus, nimis facilè dilatantur impulso in eas humore à corde et amplioribus arteriis, quæ, per *hecticæ* accessiones, solito incitatiùs moventur.

LXXV. *Diarrhoea colliquativa*—iisdem nascitur causis, ac sudor. Quum autem cutis et alvi exhalationum ea sit ratio, ut, utrâcunque profusâ, altera parcior fiat; phthisicis accidit, ut, alvo solutâ, sistatur sudor, et, sudore manante, consistat alvus. Hinc apparet, quare sudor et diarrhœa phthisicos urgeant alternis vicibus, prout urgeat et remittat *hectica*.

LXXVI. *Sputum purulentum*,—quocum sanguis interdum commiscetur, provenit ex rupto abscessu, et erosis vicinis, quibus continetur sanguis, vasis.

CURATIO

CURATIO.

LXXVII. *Phthisi* etiamnum *nascente*,—optimum factu est præcavere, ne in pulmonibus ingenerentur tubercula, vel ne ingenerata inflammationem capiant.

LXXVIII. Quoniam omnia signa phthisis incipientis debilitatem totius corporis indicent, quæ, utì putant medici, ad tuberculorum gĕnerationem conducit; oportet phthisicum se confirmare, neque tamen irritare, et nimis implere. Hunc in finem, phthisicus, dum omnia sedulò vitat, quæ pulmonibus detrimentum afferant, debet idoneo regimine, et, si opus, medicinâ, pristinum sibi vigorem restituere.

LXXIX. Hoc consilio, debet phthisicus quamprimum de sedentaria vita desistere, itemque omnibus negotiis, quæ animum curâ coquant, solicitudineve vexent. Cutem quoque curare oportet; et cavere, ne à humido cœlo, et subitis frigoris atque caloris vicissitudinibus, detrimentum accipiat.

LXXX. Diæta, quæ, utì docet omnium ferè medicorum experientia, phthisicis longè optimè convenit, ex lacte constat et farraceis. Hujusmodi enim diæta, dum mitis et boni succi est, atque satìs nutrit, non irritat, neque incitat nimis cor et arterias.

LXXXI. Lac vaccinum, quippe cùm faciliùs parari possit, atque eo, ferè ex toto, phthisici vivere, cæteris, modò nihil obstet, anteferendum est. Quoniam verò, præ majore casei copia, quam ventriculi succo coagulatum præbet, est concoctu difficilius, interdum alii lacti

lacti posthabetur, præcipuè caprino et asinino.

LXXXII. Si lac in ventriculo acescat, atque ructum acidum cæteraque mala movet, quæ ex cibis malè concoctis oriuntur, ei pauxillum sacchari * admiscendùm est, vel rosarum conditivarum. Sed *antacida*, utì à medicis nominantur, lacti admista, vel per se assumpta, atque subinde opium, efficaciora periculo comperta sunt.

LXXXIII. Præ cæteris exercitationibus, phthisicis conveniunt equitatio et navigatio. Utì equitatio omnia viscera salutariter agitat, ita nulla alia exercitatio tantùm ad corpus confirmandum pollet. Quò respondeat exercitatio, cùm tempore tum gradu constans esse

* Vid. BAGLIV. pag. 325.

debet. Utenda est ante meridiem, quando neque tempestas pluviosa est, neque spirat aquilo * aut subsolanus.—Longa navigatio phthisin nonnunquam curavit. Interdum verò, iis potissimùm quibus insueta est, quorumque vires jam exhaustæ sunt, adeò non proficit, ut plurimùm noceat, imò etiam mortem approperet.

LXXXIV. Aër, quo phthisicus vitam degit, purus esse debet, tepidulus et siccus. Aër marinus, quippe qui purior habeatur terrestri, cum navigatione ad curandam phthisin mitigandamve conspirare putatur. Quoniam verò aër marinus, nisi procul à terra, parùm proficit, quippe enim phthisicis nocent commisti aër marinus et terrestris †; migrare in oram maritimam,

---

* Vid. HIPPOCRAT. *Aphorism.* Sect. iii. Aph. v.

† Vid. RUSH. *Inquiry*, &c. vol. ii.

maritimam, vel nave, sed non longè, vectari, nihil proficit.

LXXXV. Vestitus is esse debet, qui cutis exhalationem eliciat. Hoc consilio, oportet phthisici laneum xylinumve habeant cuti proximum indusium. Sed, cùm in BRITANNIA, præ tempestatis varietatibus, difficile imprimis sit, cutis halitum constanter evocare laneis vestimentis, hinc, primo quoque tempore, migrare phthisici debent in regiones, ubi æstatem longam præbet Jupiter, tepidasque hiemes. Ideoque aptissimè à BRITANNIA MONTEM FESSULUM, ITALIAM, HISPANIAM, vel INSULAM BALEAREM MINOREM, itur.

LXXXVI. Si regimen, per se, non satìs valet ad pristinum phthisicis vigorem restituendum, medicamenta, ex iis quæ corpus roborant, in auxilium vocanda sunt. Hujus generis efficacissima sunt cortex *cinchonæ*, et præparata è ferro. Hæc verò, cùm aptum, quod inflammatione

matione capiatur, corpus reddant, nunquam assumenda sunt, quando est, unde inflammari pulmones medici suspicentur.

LXXXVII. *PHTHISI CONFIRMATA*,—medicorum est tuberculorum inflammationem discutere. Quoniam, pulmonibus ulceratis, medicamenta plerumque parùm ad phthisin sanandam pollent, assumenda sunt, primùm ut signa ostendunt, pulmones propè esse, ut inflammationem capiant.

LXXXVIII. Efficacissimum remedium, quo præcaveatur inflammatio, sanguinis detractio est. Hoc ideo phthisis tempore, mittendus sanguis est eâ copiâ, quam vis morbi desideret, et ægri vires atque consuetudo pati posse videantur. Optimum plerique medicorum putant, uncias à quatuor ad octo decemve ex brachio subinde mittere *.

LXXXIX.

* Vid. MORTON. *Phthisiolog.* pag. 194.

LXXXIX. Eundem in finem, itidem efficax exulceratio est, maximè si imposito idoneo unguento caveatur, ne exulcerata pars cuticulam obducat. Sed, cùm exulcerationem perpetuare semper ægro in primis molestum sit, satius videtur, *setaceo* facto, ex parte pulmoni inflammato quàm proxima materiam demere. Hoc enim, quoniam facit, ut ab interaneis evocetur sanguis, non urgentem modò pulmonis inflammationem digerat, verùm, si perpetuetur, obstet quoque, ne invadat nova.

XC. Alvus, quoties opus, debet laxari vel medicamentis, ex iis quæ leniter emolliunt, veluti *mannâ*, radice Ponticâ, et *muriate hydrargyri dulci;* vel lotionibus duci. Verùm, cùm alvus, si vehementiùs fluit, aut sæpiùs ducitur, rarò pulmonis inflammationem discutiat *, sed hominem

* Vid. ETMULLER. tom. ii. pag. 627.

hominem semper multùm infirmet, ipsaque difficilè sistatur, nunquam acriter exinanienda est.

XCI. *Sales* quidam *medii*, et vomitoria eâ copiâ assumpta, qua nauseam tantùm moveant, quippe cùm sanguinem ad summam cutem evocent, nonnihil fortasse conferant ad digerendam pulmonis inflammationem. Vomitus verò anceps remedium videtur. Committendo enim, ut in pulmonem sanguis incitatâ vi impellatur, non sanguinis modò sputum moveat, verùm pulmonis quoque intendat inflammationem, præcipuè si naturâ æger sit pectore angusto.

XCII. Tussis, utpote qua intendatur inflammatio, sedanda est, quoties urget, potulentis, ex iis quæ fauces illinunt, atque acria obtundunt, etiamque temperato opii usu.

XCIII.

XCIII. Diæta parca ex iis composita, quæ facilè concoquuntur, et, dum vires nutriunt, non cor nimis incitant et arterias, phthisicis, quorum in pulmonibus inflammatio est, optimè convenit. Hujus generis est lenis sorbitio ex *cycate circinali*, vel ex ptysana, vel ex milio, vel ex oryza, lacte adjecto. Acidula quoque sorbitio, quam ex farina avenacea acescente SCOTI præparant, et, ipsorum linguâ, *sowens* nominant, phthisicis idonea est.

XCIV. Exercitatio, qua utuntur phthisici, levis esse debet, namque imbecillitas et inflammatio gravem non sinunt. Si vires patiuntur, convenit lento pede ambulare vel equitare. Sin has exercitationes imbecillitas prohibet, itinere plano et levi gestari commodissimum est.

XCV. *PHTHISI INVETERATA*,—medicorum est, dum ulceratum pulmonem sanare moliuntur, præcavere,

præcavere, ne à pure absorpto phthisicus grave detrimentum capiat, et mala levare, quibus maximè urgeatur.

XCVI. Utì nimia vis inflammationis impedit, quò minùs ulcus ad sanitatem perveniat; ita, si arteriarum pulsus pleni et duri sint, atque vires sinant, tantum sanguinis detrahere conveniet, quantum requirat nimia inflammatio *.

XCVII. Ad ulcera pulmonum sananda, medici dare solent medicamenta, ex iis quæ balsamina nominantur. Sed, quum hæc cor et arterias multùm incitent, fieri vix potest, quin noceant, si ulla pars pulmonum inflammatione laboret. Quando autem conquievit inflammatio, et ægri vires jam, magna ex parte, defluxerunt,

* Vid. CULLEN. *First Lines*, vol. ii. pag. 461.

fluxerunt, balsama nonnunquam proficiunt. Hujus generis medicamentorum optimum *Tolutanum* est. Hoc vel in ventriculum assumatur, vel unà cum vapore *ætheris sulphurici* spiritu adducatur in pulmones, et ipsis partibus ulcerosis admoveatur.

XCVIII. Quum, utì periculis compertum est, *acidum carbonicum* facultate roborandi, pariter. atque acrimoniam obtundendi, polleat, phthisi marcentibus interdum forsitan proficiat, dummodo unà cum spiritu in pulmones hauriatur*. Namque, quantulumcunque possit ad ulcus sanandum, phthisicos tamen haud dubiè minùs aptos reddit, qui corripiantur *catarrho ;* morbo sanè, qui nunquam non phthisin exasperat. Quinimo, modò in ejus usu perseveretur, *hecticæ* accessiones haud ra-

* Vid. DOBSON. *Commentaries on Fixed Air.*

rò cessant, atque pus multò faciliùs extussitur ex pulmonibus.

XCIX. Tussilaginis succus, vel aqua vehementer decocta ex ea, à quibusdam putatur phthisicis prodesse. Modò enim copiâ satìs magnâ assumatur, tussim mitigat, itemque *hecticæ* accessiones; quod tamen itidem faciunt cætera medicamenta, ex iis quæ *demulcentia* nominantur.

C. Inter accessiones *hecticæ*, medicamenta, ex iis quæ refrigerant, ægro assumenda sunt. Ad calorem, quem movet febris, minuendum idonea aqua est, quam gratè acidulam fecit *acidum sulphuricum*, *acidum tartarosum*; aut succus malorum aureorum citreorumve.

CI. 1. Oportet diætam mitem esse, qualisque corpus satìs nutriat. Quando duntaxat levis pulmonum inflammatio est, pauxillum carnium

carnium assumere permittatur. Hæ verò debent esse, quæ naturâ delicatæ sint, neque multùm stimulent. Hujus generis sunt aqua decocta ex pullo gallinaceo, vel ex carne vitulina; jusculum ex vitulinis pedibus; ostrea; musculi.

2. Fructus, porrò, maturi, et serum butyri, quippe cùm naturâ ad acescendum prona sint, corpus jucundè refrigerent atque vires recreent, ad libitum assumantur, nisi ad diarrhœam proclivitas sit, quæ sanè quàm maximè præcavenda est.

CII. Quando phthisis inveteravit, exercitatio ea esse debet, qua per vires alienas utamur. Quòd si vires patiuntur, ad eas exercitationes decurratur, quibus, per nostras vires, utimur, modò corpus non fatigent. Demissi funis motus bona exercitatio est: quippe enim ad restituendum corpori vigorem multùm conducit,

ducit, ideoque aptum reddendum, quod vehementiorem exercitationem impunè ferat.

CIII. Simul atque tussis rarior atque mitior fit, atque conquiescit pulmonum inflammatio; languor et debilitas, quæ remanent, optimè sanantur medicamentis, ex iis quæ corpus firmant.

CIV. Quando vel ægri ipsius amicorumve negligentiâ, vel medicinâ parùm valente, phthisis usque eò increvit, ut sanari non possit, medico nihil sanè restat, nisi ut levet signa graviora.

CV. Signa autem, quæ levare debent medici, sunt tussis, dolor, sudor, diarrhœa, aphthæ, atque expectorandi difficultas.

CVI. Tussis

CVI. Tussis vel omnino, vel saltem aliqua ex parte, sedari potest opio, quo sanè nullum medicamentum ad dolorem omnigenum mitigandum plùs valet. Tussis quoque quadantenus levatur medicamentis, ex iis quæ *demulcentia* dicuntur. In horum verò usu, quippe cùm nauseam plerumque brevi moveant, diu perseverari non potest. Sub finem phthisis, quando vires ferè emortuæ jam sunt, atque, præ expectorandi impotentia, pulmones pure ferè opplentur, opium vel ipsum parcè et cautè assumendum est, neque id profectò, nisi urgeat necessitas ; tunc enim imprudenter assumptum, aliquando, ut compertum est, miram spirandi difficultatem inducit, imò mortis accelerat gradum *.

CVII. I.

---

* Vid. MORTON. *Phthisiolog.* pag. 204.

CVII. 1. Dolor, si quis urget, levari potest exulceratoriis, alio post aliud, impositis, vel fonticulo aut *setaceo*. Quando autem vehemens est, pulmonibusque inesse inflammationem indicat; oportet, hirudinibus impositis, sanguinem parvâ copiâ detrahere ex parte dolenti quàm proximâ: propter enim debilitatem corporis, sanguinem ex brachio mittere non licet.

2. Interdum verò dolor nihil quicquam his (CVII. 1.) remediis levatur, imò ne opio quidem ipso. His nihil valentibus, *æther sulphuricus*, in quo macerata cicuta sit, crebrò in pulmones cum spiritu acceptus, haud rarò respondit.

CVIII. *Sudor colliquativus* quò minuatur, oportet ægrum, primo mane, lecto exsurgere; cubiculo dormire amplo, diurnumque perflatum habente, levibus vestimentis injectis; pauxillum

pauxillum *acidi sulphurici* aquâ diluti, horâ somni, assumere; et parvas identidem doses adhibere *sulphatis zinci.*

CIX. Temperanda *diarrhœa colliquativa* est mitioribus astringentibus, veluti *kino, catechu, extracto hæmatoxyli;* mucosis, pulvere, nempe, gummis tragacanthi composito; *decocto albo;* atque opio.

CX. Aphthæ nonnunquam, ad tempus saltem, possunt sanari, os internum gargarizando subinde medicamentis, ex iis quæ leniter astringunt.

CXI. Quò phthisicus pus faciliùs expectoret, præcipiunt medici, ut asam fœtidam solutam capiat, et *lac ammoniacum* cum oxymelle scillitico.

CXII. Quoniam, *gasia* quædam inhalare, phthisicis, necne, prosit, nondum satìs constat; vel saltem nondum compertum est, quibus morbi temporibus et conditionibus, horum quidque in pulmones hauriatur; de iis hactenus nihil, ex composito, diximus. Ea tamen silentio præterire, neutiquam nobis consilium est.

CXIII. Opinatus dudum BEDDOËSIUS est, pleraque malorum, quibus urgentur phthisici, oriri ex nimio *oxygenio* in corpore; ideoque efficacissima medicamenta, quibus hæc levari possint et curari, esse *gasia*, quæ contrariâ vi pollent, atque ea, qua *gas oxygenium*.

CXIV. Quum verò syntecticorum pulmones adeò jam tuberculis, jam ulceribus morbidi sint, ut, si accuratè computaverit STARKIUS, tertia non ampliùs eorum pars haustum spiritum accipiat; quomodo fieri potest,

test, ut per eos, sanguis *oxygenio* superquam satìs saturetur ?

CXV. Quinetiam, *gasia*, in quorum virtutem inexpertam se temerè commisit BEDDOËSIUS, prorsùs inefficacia periculo comperta sunt; et sic clariùs, quàm argumenta, opinionem refutant, quam haud pridem tenebat, de natura phthisis.

CXVI. Quin fieri tamen possit, ut, præ quibusdam ægrorum corporum proprietatibus, aut quodam ipsius morbi habitu, *hydrogenium*, *carbonatum hydrogenium*, aut ipsum quidem *oxygenium*, phthisicis opituletur, negare non audemus.

CXVII. *Hydrogenium* spiritu haustum, sensum cùm pulmonum, tum vasorum quæ in eos diffundunt sanguinem, aliqua ex parte, sedat. Quum ita sit, *hydrogenium* aut per se,

aut aëre communi dilutum, prout ægris libeat, phthisicis forsitan proficiat, ubi tubercula capta inflammatione sunt, aut propè sunt ut capiantur.

CXVIII. *Gas hydrogenium carbonatum* eandem ferè vim possidet: sed magnopere debilitat; ideoque, ut bene monet HOMEUS secundus, nunquam, in phthisi inveterata, in pulmones accipiendum.

CXIX. Ubi nulla pulmonum inflammatio est; ubi multa pars virium defluxit; et ubi ampla in pulmonibus suppurata spiritui officiunt: forsitan, utì conjectat REIDIUS, haustum *oxygenium* prodesset; saltem vix dubium est, quin optatiùs responderet, quàm aut *hydrogenium*, aut *hydrogenium carbonatum*.

CXX.

CXX. BEDDOËSIUS, experientiâ doctus, quantulum ad sanandam phthisin possint *gasia*, quorum virtutes mirificè extulerat; aliud medicamentum, quod contra hunc morbum efficax olim putârunt medici, sed quod diu obsoleverat, nuperrimè revocavit, et, utì mos, summis magnificè evexit laudibus. Enimvero, non timuit magnidicus iste philotheorus, plus juvenili temeritate asserere, non plus ad intermittentem sanandam posse *cinchonæ* corticem, quàm ad phthisin curandam potest *digitalis*.

CXXI. Sed nulla inaniloqui hujus gerris puerilibusque ineptiis ponenda est fides: quippe hoc medicamentum, pariter atque *gasia*, quorum virtutes in majus, haud ita pridem, celebravit, à medicis, gravibus et satìs fidis, tentatum, parùm profuit.

CXXII. Præcipuæ vires, quibus pollet digitalis, sunt ea urinam citandi, et ea motus cordis sedandi atque arteriarum ; quæ fortasse utræque mala, quibus urgentur syntectici, aliquatenus levent.

CXXIII. Propter enim rationem vaporis ex pulmonibus cum spiritu redditi, et urinæ à renibus secretæ, digitalis, quatenus urinam citet, eatenus sanguinem à pulmonibus derivet. Quinetiam, cordis arteriarumque motus, ex parte, sedando, sanguinis in pulmonibus impetum minuat ; et sic faciat, ut minus puris moveatur, atque leviora ex suppuratis mala oriantur.

CXXIV. Veruntamen, cùm vis sedandi, qua, mirum sanè in modum, pollet digitalis, nihil præterquam corpus minùs aptum faciat, quod mala, ex morbida vi syntexis accepta, persentiat ; et fallacem levati morbi atque

atque futuræ prosperæ valetudinis spem polliceatur: et cùm compluribus syntecticis clinicis, quibus ritè experiendam curavit DUNCANUS, medicus spectatissimâ fide, nullum omnino malorum levamentum attulerit: ad sententiam eorum accedo, qui putant, digitalem, quamvis magnificis à BEDDOESIO verbis laudatam, æquè tamen inefficacem esse, atque innumera alia medicamenta, quibus in tabem pulmonum à medicis pugnatum est.

FINIS.

Dr Pitcairn

with the Author's
Compts